



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCIII. De Censu Cæsari reddendo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

totam Æternitatem manendum erit in tenebris et
 terioribus, extra Regnum Cælorum, Oculis animi
 Corporis obvolutis, ubi erit summa tristitia, & sum-
 mus dolor.

MEDITATIO CCCIII.

De Censu Cæsari reddendo.

Matth. 22. v. 15. Marc. 12. v. 13. Luc. 20. v. 20.

PUNCTUM I. *Tunc abeuntes Pharisei consilium inierunt
 ut caperent eum in sermone: & mittunt discipulos
 cum Herodianis (id est, Herodis Ascalonitæ Infantici-
 dæ defuncti fautoribus, & Cæsari similiter addictis,
 sicut ipse ob præstitos sibi favores Cæsari fuit adhi-
 etissimus) dicentes &c. Matth. 22. v. 15. S. Lucas
 refert: Et observantes miserunt insidiatores, qui se iustos
 mularent, ut caperent eum in sermone, ut traderent illi
 principatui, & potestati Præsidis. Disce à Christo, pa-
 tienter ferre invidios homines, & simulatos amicos
 sive occultos inimicos. Et ne à quoquam in sermone
 capi possis, coram nemine, quantumvis probus,
 amicus homo esse appareat; & contra neminem, pro
 fertim potentiozem Principem, vel Superiorem quocumque
 quam dicas, cuius manifestatione tibi noceri, vel alius
 offensus reddi posset. Si enim ipse filere non poteris
 rem, alteri tertio non manifestandam, quomodo ab
 auditore tuo fidem silentij tibi promittis, quem ne
 scis, an sit, vel mansurus sit Amicus fidelis? vel alius
 non saltem mediatè sermo tuus sit ad eorum, quibus
 lum referri nolles, aures perventurus.*

PUNCT. II. *Dicentes: Magister scimus, quia Veritas*

es, & Viam DEI in Veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum, Matth. 22. v. 16. Considera, quàm quidem vera sit laus, sed quàm parùm sincera, & tantùm ad nocendum prolata; prout plerumque laus propria audita nocet, etiam quando absque animo nocendi dicitur. Præstat ergo potius mereri laudem, quàm audire; laudabilitas enim propria proficua est, laus aliena noxia, & periculosa, saltem propter periculum Vanæ Gloriæ. Laus coram præsentibus dicta, plerumque non laus, sed adulatio est, & sæpe falsa, sæpe ab ipso dicente non credita, rarò sincera; quid nî ergo contemnenda?

PUNCT. III. Dic ergo nobis, quid tibi videtur: Licet dare censum Cæsari, an non? Cognitâ autem JESVS nequitiam eorum, ait: Quid me tentatis Hypocrita? Ostendite mihi numisma censûs. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis JESVS: Cujus est imago hac, & superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt DEI, DEO. v. 18. Quasi diceret: quia hac inscriptione Cæsaris, in vestra terra cusâ, vos Cæsari subditos fatemini, & quia subiectio etiam homini gentili in rebus Religioni vestræ erga DEVM non adversis præstita, cum subiectione DEO debita non est impossibilis (ut falsò quidam sibi persuaserant) ideo reddite tributum, quod Cæsari debetis; vos ipsos verò, qui DEI Imagine insigniti estis, & cui Cultum, Fidemque &c. debetis, reddite DEO cum omnibus, quæ DEO debetis. Hoc responsum tibi cape, & redde, quod DEO, Superioribus, & Proximo debes, & quod tibi ipsi.